Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2103
Quelle:
Copyright:

dibile esse, quod ait *Lupacius* ad d. 16. *Julii*, Libros quosdam M. *Matthiae* promiscue cum *Wicleffianis Pragae* 1410. exustos fuisse; dein: *Petrum Dresdensem* et *Jacobum de Miza* non amplius Communionis *Utraquisticae* autores esse dicendos. Extrema Operis nostri sunt: *et ut ecclesia sua esset vnum sicut ipse et pater est vnum.* Verum videat Lector observata ad *Cod.* CCCCXXXV. et, ut lubuerit, statuat.

II. *fol.* 220. Brevis Explanatio Orationis Dominicae, quae insit: *Sciendum quod hec dominica oratio dicitur, quia dominus noster Ihesus christus proprio suo ore benedicto composuit* &c. quamque ad eundem Autorem referre non dubito, qui non obstantibus relatis in Prooemio *supracit.* ait: *ista scripta et omnia mea humiliter et deuote subicio matri mee piissime Romane ecclesie* &c.

DLIII.

938 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 253. 4. commode perscriptus et rubricis enotatus continet: I. *Tractatulum*, ut in calce legitur, *de praxi Romane Curie*, qui in Elencho praevio tribuitur *Magistro Matthaeo de Cracovia.*, An non potius ad *Hussum* referendus sit, suspicionem movi ad *Cod.* CCCCXLII. Mihi certum saltem est, injuria inscribi *Matthaeo de Cracovia*, quamvis teste *Bern. Pezio Dissert. Isag.* T. I. *Thes. Anecd.* p. 6. etiam in *Codd.* aliis ejus nomen praeferat, et sub eo *Basileae* primum 1551. dein T. II. *Fasciculi Rer. expetend.* &c. *Edw. Brownii Londini* 1690. p. 584. f. impressus fuerit. *Matthaeus*, ut est apud *Trithemium de Scriptt. Eccl. n.* 654. pulsus *Praga* cum aliis *Teutonibus* ab *Hussitis* (male in *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. 12. *et Hussitis*) *Ruperti* Imp. Cancellarius, Episcopus *Wormat.* et 1408. Cardinalis Eccl. *Rom.* factus est, ad quam dignitatem sane non pervenisset, si Libelli nostri fuisset autor. Si igitur hic *Hussi* partus non sit, ad *Mathiam* dictum *Parisiensem*, sive *de Janow* referendus videtur, errore nominis *Matthaei* pro *Mathia* per *Codices* propagato, quod non insolens; hic enim *Mathias* a *Lupacio* in *Ephem. Rer. Boem.* ad 30. *Novemb.* et acerrimus impugnator corruptelarum et abusuum, et autor Libri *de Antichristo*, qui inter *Hussi* Opera editus est, fuisse fertur. Consule *Codd.* CCCCXXXV. et praeced. Initium porro Tractatuli, qui alias etiam *de Squallore Rom. Curiae* audit, est: *Moyses sanctus et tanquam solitudinis amicus* &c. Ad calcem accedunt 7. *Versiculi* contra Curiam et:

Qui scripsit dicta, nomen ejus vocatur paliczka.

II.